



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

IV. Quæ sit obligatio exteriùs co[n]fitendi, & profitendi Fidem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

tritionis, cum elicere teneretur: nam præceptum Fidei tunc per se non obligabat. Basiliæ *ſ. Fides l. n. 15.* & alii.

38. CONCL. VII. Quintum & ultimum tempus, quo obligat hoc præceptum, est articulus mortis. Ita communis. Ratio est: quia tunc magis tenetur homo sese munire adversus tentationes diaboli, & sequi conjungere Deo, tanquam ultimo Fini, per actum Fidei, quæ est prima, & omnium reliquarum virtutum fundamentum, ac radix nostræ justificationis. Et hinc præsertim moribundi excitandi sunt ad eliciendos actus Fidei, aliarumque virtutum Theologicarum, nec non & Contritionis, prout passim monent Ritualia Diocesana, aliique libri: idque tum ex eo, ut per exercitium harum præstantissimarum virtutum homo moriturus sese amplius conjungat Deo, tanquam ultimo Fini: tum quia hujusmodi actus sunt valde meritorii, atque ad depellendas, superandasque tentationes diabolicas, tunc fortius urgentes, efficacissimi: tum quia præceptum Divinum de exercendis harum virtutum actibus maximè tunc obligare dignoscitur.

Quintum tempus, quo obligat præceptum Fidei, est articulus mortis.

Moribundi ad actus virtutum Theologicarum maximè excitandi.

Q U Æ S T I O I V.

Quæ sit obligatio exterioris confitendi, & profitendi Fidem?

39. **N**Orandum, quòd assensus seu actus Fidei corde fiat, confessio autem Fidei præstetur ore; juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sicut autem exterior confessio Fidei fit verbis, ita confessio fit factis, aut rebus externis, v. g. vestibus, vel aliis in signum illius assumptis.

Actus Fidei, item confessio & professio Fidei, quomodo differant?

40. CONCL. I. Datur præceptum Divinum de non neganda Fide externè. Ita est de fide, atque in Concilio Romano sub S. Cornelio Papa definitum contra hæresin Elcesaitarum, dicentium, posse instante persecutione negari Fidem exterioris, dummodò ea corde retineatur. Sed Catholica veritas aperte desumitur ex verbis Christi, Matth. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Item 2. Timoth. cap. 2. *Si negaverimus eum, & ille negabit nos, & alibi.* Hoc ipsum confirmat exemplum tot millium SS. Martyrum, qui mori maluerunt, quam Fidem exterioris negare.

Datur præceptum Divinum de non neganda Fide externè.

Etiā ex-
terna Fidei
confessio
quandoque
est de prae-
cepto.

Duplex ne-
cessitas ex-
terna con-
fessionis
Fidei.

Quando
obligemur
ad externam
Fidei con-
fessionem?

Casus, in
quibus ne-
cessitas est Fi-
dem occul-
tare modo
licito.

Variis modi
Fidem licit
occultandi

41. CONCL. II. Etiā externa Fidei confessio pro aliquo tempore est de praecepto. Ita rursū omnes Catholici. Patet hoc ex illis verbis Christi, Matth. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; & alibi.*

42. Dicitur notanter, pro aliquo tempore. Duplex enim est necessitas externae confessionis Fidei in praemissis duabus Conclusionibus insinuata: Una negativa, scilicet Fidem exterius negandi: & haec, cum in praecepto negativo fundetur, obligat semper & pro semper; nunquam enim licitum est, Fidem exterius negare, licet corde retineatur, juxta dictum num. 40. Altera est affirmativa, videlicet Fidem exterius confitendi, sive verbis, sive factis: & haec necessitas, quia fundatur in praecepto affirmativo, obligat quidem semper, non tamen pro semper, sed pro aliquo determinato duntaxat tempore. Quale autem sit hoc tempus, per sequentes Conclusiones relictat declarandum: hinc sit

43. CONCL. III. Tunc obligamur ad externam Fidei confessionem, quando per ejus omissionem subtraheretur honor debitus DEO, aut utilitas proximis impendenda. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 3. a. 2. Unde si quis de Fide interrogatus taceret, & ex hoc crederetur, quod Fides non esset vera, aut alii per ejus taciturnitatem averterentur à Fide, peccatum fieret: nam in hujusmodi casibus obligat praeceptum confitendi Fidem, cum omisio talis confessionis foret contra honorem DEI, vel utilitatem proximi.

44. Secus est, quando spectatis omnibus circumstantiis nulla honori Divino injuria infertur, neque imminet detrimentum proximo, imò potius timeatur turbatio Infidelium suborbitura absque alia utilitate Fidei, aut Fidelium: nam tunc non obligat praeceptum affirmativum Fidei exterius confitendae (etsi hanc negare nunquam liceat) neque est laudabile, in tali casu Fidem publicè confiteri, imò necesse tunc est eam occultare modo licito. Unde ait Christus Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos.* Ita rectè observat Doctor Angelicus loc. cit. ad 3. & alii passim.

45. CONCL. IV. Extra casum, quo propter honorem DEI, vel proximorum utilitatem urget praeceptum affirmativum Fidei exterius confitendae, licitè Fides occultatur variis modis. Et I. quidem tacendo, vel interrogantem, si fuerit privata persona,

sona, ratione quadam congruente eludendo. Additur notanter, Quando si fuerit privata persona: nam interrogatus de sua Fide ab eo, qui publicè auctoritate fungitur, aut à iudice, tenetur ex præcepto affirmativo Fidei eam confiteri, etiam si ex illa Fidei confessione sibi mors impendat: quia tunc redundat ingens honor DEI, & Fidei nostræ. Nec obstat, quòd sit secutura perturbatio Infidelium: hæc enim ob tantam utilitatem honoris Divini, Fideique Christianæ, tunc est contemnenda. Hinc Innocentius XI. sequentem inter alias Propositionem, ordine 16. damnavit: Si a Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum, per se non damno.

46. II. Potest licitè Fides occultari fugiendo. Siquidem licitum est homini Christiano, tempore persecutionis fugere, vel sese occultare, ne cogatur de rebus Fidei respondere, sicque possit periculum vitæ evadere: unde dixit Salvator, Matth. 23. *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Accedit ratio: quia sic fugiens non significat, se non esse Christianum, vel se negare Fidem; sed potius indicat contrarium, scilicet se nolle Fidem Christi negare, ac malle fugiendo periculum eam negandi evitare. Potest tamen contingere, quòd huiusmodi fuga ob aliquas speciales circumstantias reddatur illicita, si nimirum ex tali fuga redundet periculum in honorem DEI, aut proximorum salutem, quod suâ præsentia evitaretur: ut si Episcopus, vel Parochus tempore persecutionis fugiat, cum tunc maximè illius operâ & auxilio subditi indigeant; tenentur enim ex officio subditis suis consulere in necessariis ad salutem. Unde Christus Joan. cap. 10. ait: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit.*

47. III. Licitum est occultare Fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia; non verò illis, quæ ad profitendam falsam Religionem instituta sunt. Ita Mastrius *disp. 10. Theol. Mor. num. 12.* & communis aliorum. Sic, ut alii taceantur, S. Sebastianus in Aula Diocletiani licitè occultavit Fidem sub clamide militari, ut Christianos commodiùs adjuvare valeret. Similiter secluso scandalo non est illicitum ingredi Tempa hæreticorum, vel eorum Conciones audire curiositatis gratiâ, cum talis ingressus de se sit indifferens. Item transiens per loca Infidelium, vel hæreticorum, potest diebus ieiunii vesci carnibus metu mortis, carceris, vel amissionis bonorum, alioquin si deprehenderetur, incurrendæ: quia etiam esus carniùm ex se est indifferens, neque

Quando
ceat eam occul-
cultare ta-
cendo, vel
non?

Quando
des possit,
vel non pos-
sit, occultari
fugiendo?

Licitum est,
eam occultare
signis
ex se indif-
ferentibus.

que abſtinentia illa eſt introducta ab Eccleſia ad diſcernendos Catholicos ab hæreticis, nec urget præceptum jejunii Eccleſiaſtici cum tanto periculo mortis, aut hujusmodi. Et idem dicendum de ſimilibus.

Niſi ea præcipiantur in contemptu Fidei, &c.

48. Hæc tamen intellige, niſi Princeps infidelis, aut hæreticus talia præciperet in contemptum Fidei, vel ad profitendam falſam Sectam ſuam: quia tunc talia non licerent, cum cederent in contemptum Fidei, aut legis Eccleſiaſticæ; unde potius cuidam moriendum eſſet, quàm comedere carnes, diebus prohibitis in contemptum Fidei, vel Eccleſiæ Catholicæ appoſitas. Similiter non liceret illis diebus comedere carnes ab Infidelibus, vel hæreticis appoſitas ad explorandum, an quis ſit Catholicus, ſi inde ſequeretur notabilis Divini honoris diminutio, vel proximi ſcandalum; juxta dicta *num. 43.* atque docet cum aliis citatus Maſtrius *num. 13.* Unde Apoſtolus *1. Corinth. 8.* ait: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.*

Et niſi ſint inſtituta ad profitendam falſam Religionem.

49. Additur notanter *num. 47.* *non verò illis, quæ ad profitendam falſam Religionem inſtituta ſunt.* Sic enim non eſt licitum, imò foret peccatum contra præceptum negativum Fidei, ſacrificare Idolis, vel coram illis genua flectere, aut imaginem inanum deorum ad collum geſtare, vel alias cæremonias, ſeu actiones facere, quæ ex ſua natura proteſtativæ ſunt falſæ Religionis, etiam ſi quis talia fictè faceret. Ratio eſt: quia tales actiones cultum ſuperſtitioſum intrinſecè continent, ſuntque ex ſua natura falſæ Religionis proteſtativæ; unde neque metu mortis licet eum cultum exteriùs exhibere, quantumvis animo ficto.

Quid, ſi talia ſiant per jocum, aut in Comædiis?

50. Excipe, niſi id fiat per modum joci, aut repræſentationis, prout in Comædiis fieri ſolet: hæc enim non eſt illicita, cum non ſit falſæ fidei proteſtatio, ſed potius repræſentatio illius per modum irriſionis, idque aſpicientibus abundè pateat, uti ſupponitur.

Veſtibus infidelium, quando ſit licitum uti?

51. Quæres, an licitum ſit Fideli, per Provincias Infidelium tranſeunti, illorum veſtibus uti ad occultandam Fidem cauſam mortis vitandæ? Reſp. ſolutionem patere ex hætenùs dictis: nam licitum eſt deſerre habitum Infidelium, qui ab iſtis porratur ſine ullo Religionis intuitu, ſed ſolum varius eſt pro diverſitate Nationum, & Provinciarum; prout paſſim in Anglia, atque aliis hæreticis Provinciis, eorum veſtibus utuntur Catholici. Idem etiam quandoque ſit in Turcicis regnis.

Et quando non?

52. Secùs foret dicendum, neque liceret uti talibus Infidelium veſtibus, ſi eſſent per ipſorum Principes inſtitutæ ut ſignum ad

ad eorum Sectam profitendam : nam tunc , qui talibus vestibus ad professionem falsæ Religionis deputatis uteretur , hoc ipso talem Sectam vel Religionem exterius profiteretur , quod est contra præceptum negativum Fidei de non profitenda falsa Religione , neque neganda exterius vera Fide , ut dictum num. 40.

DISTINCTIO III.

De Ecclesia , Libris Canonicis , & Traditionibus.

QUÆSTIO I.

De vera Christi Ecclesia.

1. **N**omine Ecclesiæ, quantum ad propositum, communiter à Doctoribus Catholicis intelligitur certus hominum cœtus, ad veram Dei cognitionem & cultum, veramque Religionis societatem divinitus evocatus. Et Ecclesia sub hac ratione generaliter sumpta, dividitur in *Ecclesiam Triumphantem*, quæ Beatos in cælis complectitur: *Purgantem*, quæ continet Animas Purgatorii: & *Militantem*, quæ Fideles in præsentis vite etiamnum cum hostibus humani generis militantes comprehendit. Nihilominus adhuc triplex hæc Ecclesia propter unitatem Capitis sui, quod est Christus Dominus, censetur unica tantum Ecclesia, tres ejusmodi diversas partes in se continens; juxta quod dicitur in Symbolo: *Credo in unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

Ecclesia, quid?

Dividitur in Triumphantem, Purgantem, & Militantem.]

2. Cæterum in præsentis potissimum sermo est de Ecclesia Militante. Et hæc rursus dupliciter sumitur; primò latè, seu universaliter pro cœtu omnium Fidelium ab initio mundi usque ad finem ejus existentium; quomodo loquitur S. Gregorius Papa Homil. 19. in Evang. *Universalis Ecclesia, ab Abel justo usque ad ultimum Electum, qui in fine mundi nasciturus est.* Deinde, & quidem frequentius, Ecclesia sumitur pro cœtu, seu congregatione omnium Christi Fidem atque doctrinam profitentium, quæ sub uno & summo post Christum Capite & Pastore in terris gubernatur: Et hoc modo sumimus Ecclesiam in proposito: nam Ecclesia Dei, prout erat sub veteri Testamento, seu tempore Legis

Ecclesia Militans sumitur dupliciter.

Synagoga, quæ?

Bb

Mosai-